

morum elegantia, atque animi excelsi & diui-
ni magnitudine præditus sit, vt nihil mortale,
præter corpus, ab eo geratur. Huius autem rei
veritatem indicat Serenissimi, & nunquam satis
laudatissimi Ferrariæ Ducis amor, singula-
risque in ipsum Comitem Scipionem bene-
uolentia, quem quidem Dux ille sapientissi-
mus, suos inter aulicos semper asciuit, atque ita
in oculis fert, vt neminem sibi fratre tuo cario-
rem habere videatur. Quamobrem mirum
tibi non videbitur, si cum ego, qui nunquam
de facie te nouerim, & ab ipso Thescario, & ab
alijs quām plurimis excellentissimis viris exi-
mias vestras in cœlum tolli virtutes intellexe-
rim, ad vos etiam summa veneratione ob-
seruandos & colendos, inflammatus, impul-
sus, atque adeò coactus fuerim, vt nihil mihi
videretur antiquius, quām, vt se mihi aliqua
offerret occasio, qua vobis obseruantia, cul-
tusque in vos meus palam ostendi a me posset.
Quæ quidem Deo adiuuâte hoc tempore se se
obtulit, cum doctissimæ Michaelis de Palatio,
in Sanctissimum Christi Euangelium Enarra-
tiones, ex Hispanijs ad nos allatae, in meas deue-
nerunt manus. Quæ cum mirificè ab omni-
bus